Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1941

Quelle:
Copyright:

ſceua le perſone, ne ſapea la lingua. Nemo vero facile mirabitur, eum ſic habitum fuiſſe in Regione Sacris catholicis in primis addicta, qui praeſens ejus Scriptum legerit, quod ſatis impudenter *Maximiliano Bob.* Regi, miti Principi dicavit. In *prima* ejus Parte exagitat Miſſae Ritus ab Introitu usque ad Canonem, in *ſecunda* inde ad Orationes Secretas, in *tertia* inde usque ad finem, in *quarta* Miſſae, ut ait, Abuſus et Abominationes perſequitur. An *Bern. Occhino*, an *P. P. Vergerio*, an quo alio magiſtro uſus, an originem ſuam antiquiſſimae *Pramperorum* Proſapiae, cujus Heroes aliquot recenſet *Joh. Joſ. Capodaglius* in *Udine illuſtrata*, debuerit, quibus deinceps fatis in *Germaniam* delatus uſus fuerit, hactenus non reperi. Ad calcem Operis viſitur pictura lineari ejus Icon barbata, librum tenens, quam ambit in orbem Verſus: *Mittam vobis Spiritum Paracletum. Et dabo vobis Spiritum novum. Et ille vos docebit omnia.* 1560.

D.

878 Codex chartaceus germ. lat. gall. Sec. XVI. Folior. 35. f. congeſtus eſt e Monumentis ſequentibus: Epiſtola germanica *Joh. Friderici Saxoniae* Ducis, Electoris et Burggravii *Magdeb.* ad *Joh. Bugenhagen, Greg. Pruck* et *Phil. Melanchthonem* data *Aldenburgk Freytag poſt Invocavit. Anno* 1547. qua nunciat, 2. *Martii* caeſum a ſe cum 1500. Equitibus et 4000. Peditibus, quos inter et Caeſarei, captumque *Albertum* March. *Brandeburgicum*, qui pro *Mauritio Sax.* Duce *Rochlicium* inſederat. Init: *Wir wiſſen euch gnediger mainung nicht zu bergen, das ſich hertzog Moritz die vorgangene tag, als wir etzliche vnſer Reutter vnd hackenſchützen in andern ſachen von Colditz abgefordert* &c. Vide *Sleidani* L. XVIII. Sed laureatas has Literas non multo poſt ſecuta eſt *Rochlicii* receptio et Pugna ad *Mühlbergam*.

Fol. 2. *Joh. Hoppii Budiſſinenſis*, tunc Profeſſoris in Acad. *Regiomontana*, ſed eodem anno dimiſſi Literae datae 13. *Martii* 1553. ad *Balth. Sartorium Saxonem Oſchatz. Cracoviae* iter in *Italiam* meditantem. Laudatur primo ſtudium ejus *in corrigendis ſtellarum motibus*, ſuadetur pro itinere praedicto potius oblata conditio *Vitebergae* in Academia, deploratur infelix rerum facies *Regiomonte* orta ex *Oſiandriſmo, Mörlinum ad diſceſſum compulſum a Principe*, (Alberto Brandeb.) miſſionem impetraſſe D. *Pontanum*, *Cödricium* et M. *Wagnerum*, *quod noluerunt conſentire in receptionem cujusdam Profeſſoris Pædagogici nomine M. Vrbani Stürmeri Sectae Oſiandrinae. Hanc Lernam ſolus Brentius nobis obiecit, qui neſcio quo fuco et quibus labyrinthis Oſiandri deliria inuoluere atque tegere uoluit. Nam rogatus a Principe, ut ſuam quoque de hac controuerſia perſcri-*